

EDMAN  
KUNGL. VETENSKAPSAKADEMIEN  
HEDIN, SVEN ANDERS

**Quid Linnæo patri debeat medicina,  
dissertatione academica breviter  
adumbratum, quam, venia ordinis  
experientissimi medici Upsal. publicæ  
proponit ventilationi Sveno Andreas  
Hedin ... respondente Chri**

Upsaliæ, typis Joh. Edman, direct. et reg. acad. typogr.  
1784

# EOD – Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 10 europeiska länder!



## Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400-till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

## EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
- Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
- Skriv ut enstaka sidor eller hela boken.
- *Sök:* Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
- *Klipp & klistra:* Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).

## Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkoren på svenska: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/sv/agb.html>

## Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 30 bibliotek från 12 europeiska länder denna service.

Mer information finns tillgängliga via <http://books2ebooks.eu> alla boken.

- <http://search.books2ebooks.eu/>


LINNÉ, Carl von

Ex. A.

Hedin

LINNÉ 19





EX. A.

[Biogr.]  
So.]

LINNÉ 19

D. D.

QUID

**LINNÆO**  
**PATRI DEBEAT MEDICINA,**

*DISSERTATIONE ACADEMICA*

*BREVITER ADUMBRATUM,*

QUAM,

*VENIA ORDINIS EXPERIENTISSIMI MEDICI UPSAL.*

*PUBLICÆ PROPONIT VENTILATIONI*

**SVENO ANDREAS**  
**HEDIN,**

ASSESSOR REG. COLLEG. MEDICI HOLMENSIS ET AD AULAM  
REG. MEDIC. PRIM. REG. SOCIETATIS MEDICÆ  
HAFNIENS. MEMBR.

RESPONDENTE

**CHRISTOPHORO CARLANDER,**

*VESTROGOTHO, STIPEND. VICTOR.*

*IN ACADEMIÆ GUSTAV. AUDIT. MAJ. D. XIV APR. MDCCLXXXIV.*

*H. A. M. S.*

---

UPSALIÆ,

TYPIS JOH. EDMAN, DIRECT. ET REG. ACAD. TYPOGR.



*A. Gillberg*

*Plura quidem fecit, quam quæ comprehendere dictis  
In promptu mihi sit; rerum tamen ordine ducar.*

OVIDIUS.





§. I.

**M**edicus, scientiæ suæ amans, in id quam maxime intentus est, ut exquisitam illorum omnium habeat cognitionem, quæ non veteres solum tradiderunt artis machaoniæ scriptores, sed et quæ recentiores memoriæ prodiderunt. In hunc autem finem Eorum scripta sedulo evolvens, animo facile illam comprehendet veritatem, *non qui multa, sed qui utilia scit, illum sapere*; Sæpissime enim et oleum et operam perdit, qui titulis librorum fidit. Haud tamen est infitiandum, quin ars salutaris ab HIPPOCRATE tradita et ab *altero* HIPPOCRATE, MAGNO SYDENHAMIO, exulta, inde a BOERHAAVIO temporibus in scientiæ formam feliciter redacta, jam ad illud sit evecta fastigium, ut nostro, quo vivitur, tempore, ceteris quibuscunque scientiis nullo modo postponenda sit; Atque id quidem operæ Virorum prorsus secularium est adscribendum, quorum solertia et præcellens omnino ingenii vis, omnia rumpens obstacula, posteros collustrando facem ubique prætulit, eoque nomine non de arte minus, quam de singulis Æsculapii filiis bene merentissimos sese reddiderunt, quippe qui opusexegerunt,

— — *quod nec Jovis ira nec ignes;*  
*Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.*

Verum nec defuerunt, nec olim defuturi sunt, qui infatiabili scriptitandi cupiditate incensi, plus spargunt infelicis lolii, quam segetum, quæ frugibus gaudebunt. Et certe enim scio, qui rigidam ejusmodi scriptorum censuram fusciperet, juvenibus medicis non solum utilissimum fore, sed et ipsorum pecuniæ et tempori largiter parsurum.

§. II.

Dissertationem itaque jussu superiorum edituro, lubens fateor, hanc in primis arrisisse materiam, si ferre valuissent humeri, atque arctis speciminis Academici cancellis circumscribi potuisset; vidi autem immensum valde spatium, quod decurrere non fui ausus, quippe qui negotiis ex duplici officio perfungendo distractus, temporis mei potens non fui. Atqui dolor ille acerbus, quem auribus et oculis percipiunt omnes boni, tam intra quam extra Patriam, ex obitu *utriusque* LINNÆI, Patris et Filii, in historia naturali et scientia Botanices *Principum*, quorum memoriam gratissimam servabunt seri Posteris, in mentem mihi revocat LINNÆI *Patris* maxima in scientiam, quam colo, merita. Quæ quidem dum penicillo parum culto adumbrare mihi constituo, non dubito fore plerosque, qui judicent hoc opus leve et non satis dignum tanti nominis *Viro*, Cujus etjam piis manibus alii dudum merentissimi *a)* iusta persolverunt pa-  
ren-

---

*a)* Dom. Bäck Eqv. de Stell. polar. Archiat. Reg. et Colleg. Reg. Med. Holm. Præses, primus sermone funebri meritorum LINNÆI fuit præco dignissimus, quem postea secuti sunt *Le Marquis de CONDORCET*

rentalia. Ast tantorum facinorum quis modus? mea me itaque jubet in Præceptorem pietas, ut quæ in medicinæ emolumentum contulit vir supra omnes meas laudes celebratissimus, specialius enumerem. Cui proposito accedit adhuc ratio quædam majoris incitamenti, scilicet non defuerunt LINNÆI nominis invidi *b*), qui dum ipsi justam laudem *summi Botanici* demere non potuerunt, ut saltem de fama *Medici Theoretici* omnem detraherent existimationem, adnisi sunt. Hinc ut vindicentur et nomen et fama LINNÆI, eo, quo potuerim, modo, in opera illius medica inquiram, ut juniores saltem Medicos, ad ipsius scripta perscrutanda adducam.

A 3

§. III.

et Vicq' d'AZYR societ. Reg. Med. Parif. a secretis perpetuus; quorum hic ille est, qui quamvis elegantissime vitam et facinora LINNÆI depinxerit, Censorem tamen agere sat incongrue sibi permisit, in quem redarguendum omnes, quotquot fuerint, LINNÆI discipuli, occasione data, merito animum intendunt; unde etjam opera celebr. Assess. BLOM provinc. Dalekarl. Medici dexterrimi, dudum in eo fuit versata, ut, quæ contra Systema naturæ LINNÆI protulerat Dom. VICQ' d'AZYR, inprimis refutaret. Vide *Samling af Rön och Upräkter 1781.*

*b*) Fateor me heic invitissimum adponere nomen Dom. VICQ' d'AZYR sed notam injusti valde Censoris incurrit, ubi in Oratione funebri citata his de LINNÆO *Medico* utitur verbis: "Il étoit moins permis a Mr. LINNÆUS qu'à tout autre d'écrire sur les objets, qui lui étoient étrangers; parce qu'il y portoit cet esprit de détail et de stile aphoristique et figuré, que l'on a regardé comme des défauts, memes dans les ouvrages, qui ont établi sa reputation". — Quam iniquum autem judicium hoc sit, in sequentibus dilucidare conabimur, dum turpe erit Auctori, si culpa ipsum redarguit.

## §. III.

Morborum recta cognitio, quæ adcuratori perficitur descriptione, inter primaria requisita habetur, quæ medicum constituunt, quam proxime sequitur medicamentorum et Diætæ exactissima scientia, quibus, cognito morbo, vis illius scite est impugnanda et tuto debellanda. Hocce triplici officio Medici egregie adeo perfunctus est LINNÆUS, ut in his omnibus auctor et præceptor Discipulis suis fuerit consummatissimus. Munus Professoris ad Regiam hanc Academiam adeuntem non fugiebat, in quanta inopia et Docentes et Discipuli versarentur eo, quod nullum adhuc conditum esset morborum systema, ad cuius normam in dignoscendis morbis nec ipsi duci, nec alios ducere possent, unde etiam inter primaria Medicinæ obstacula defectus cognitionis pathologicæ semper fuit habitus; Morborum enim Generale disposita et pejus adhuc in Species distributa, maximam omni tempore et in tradenda et exercenda Medicina adtulerunt confusionem. Ut autem in primis species morborum ea, qua unquam fieri possent, perspicuitate traderentur, eo validius urgebat, quo certius sibi perspectum habuit, *medicamentum curare speciem, raro genus morbi*; unde quoque futurum putavit, ut, specierum morborum adæquata determinatione facta, facile determinarentur totidem specifica remedia; Cujus sententiæ veritatem plurima omnino comprobare videntur exempla: sic enim *Polygala senega* contra *morsus serpentum*, *Viola tricolor* in *crusta lactea*, *Collinsonia* in *colica puerperarum*, *semina Sabadillæ* ad *pediculos necandos*, sese com-

men-

mendarunt virtute singulari, quorum tamen omnium, ut quam maxime illustrans, *Ipecacuanham* adferre liceat, quæ sicut nobis detexit medicus c) nostratium acutissimi ingenii, refractissima subministrata dosi, specificum adeo se præbet remedium in *hæmorrhagia uteri*, ut numquam Magistrum fefellerit, cujus vim d) si quis in plurimis aliis hæmorrhagiæ speciebus tentaret, eundem expectans effectum, spe frustratum se omnimode videret. Ad LINNÆI usque tempora, qui primus systema quoddam morborum condiderat, fuit vir de re medica meritissimus, Dominus LE BOISSIER DE SAUVAGES, cujus opera ut in re ardua, tanto fuit medicis acceptior, quo verius est, præeunti maxima semper sese offerre obstacula. Verum quamvis SAUVAGESIO fuerit reservatum ante alios hunc vastissimum decurrere campum, eoque ipso, edita *Pathologia methodica*, morborum cognitionem medicis reddere faciliorem; recte tamen asserimus LINNÆUM, cui in systematibus construendis ingenium tribuit natura prorsus singulare, cognito vix SAUVAGESII opere, in eo dudum fuisse occupatum, ut inopiam in hoc scientiæ genere sublevaret. Itaque quam primum Professor Medicinæ constitutus erat, id sui muneris judicavit, ut pathologicas suas prælectiones ad certum systema discipulis suis in-

---

c) Celebr. Dom. DAHLBERG Consiliar. Reg. Colleg. Metall. ante hæc Medicus Regius primarius.

d) Observavit Dom. Professor BERGIUS pag. 103. Materiæ suæ Medicæ, *Ipecacuanham* in plurimis hæmorrhagiæ speciebus incassum fere tentatam, in unica hæmorrhagia uteri votis respondisse. Cui sententiæ accedunt plures observatores.

institueret, quod tandem anno 1759 forma dissertationis cum orbe erudito communicavit, idque jure *alterum* systema morborum, *Vogelii* tertium, ex sententia Illustris Edinburgensium Professoris CULLEN, habetur, adeo ut SAUVAGESIO *summo* æmulus omnino fuerit LINNÆUS. Ast si æmulatio tantæ laudis inter hos maximi nominis viros nostram meretur adtentionem, nec illorum amicitia id minus mereri videtur, quæ tanta omni tempore fuit, ut dum viveret celebris Monspeliensium Professor, LINNÆO semper in paucis dilectus fuerit. Neque SAUVAGESIUM puduit in nova *Pathologiæ methodicæ*, quam postea imprimendam curavit, editione, non solum LINNÆUM in citationibus suis adducere, sed et totas adoptare descriptiones, et genera *Ipsius* nova sua facere. Qui postea etiam in systematibus condendis desudarunt viri egregii, VOGEL, CULLEN, SELLE, SAGAR, HAARTMAN, DANIEL, e) hos

---

e) D:us VICQ' d'AZYR heic iterum minus amice in LINNÆUM irvehitur, de Generibus morborum statuens: "qu'ils sont un tableau nosologique, dans lequel l'auteur a employé, avec une sorte de profusion, des expressions inusitées et barbares pour indiquer et classer les différentes maladies, et même les incommodités les plus légères, de sort qu'en le lisant il semble, que le nombre des maux, dont l'espece humaine est affligée, soit au moins augmenté de moitié. Quamvis hæc adsertio vix refutatione egeat, comparationem tamen inter LINNÆUM et SAUVAGESIUM instituere placet, ut quinam horum scriptorum vocabulis plus barbaris fuerit usus, constet; Habet enim *Hic Esseram, frambæsiam, Physconiam, Beriberii, subeth, exaniam*, quæ nomina morborum nec linguæ, nec auctoritatis certæ, sunt testimonia, ne SAUVAGESIO imputemus, quod is ille omnino sit, qui plurimis factis subdivisionibus numerum malorum auxit; Ille contra duo admo-

hos primarios *Pathologiæ statores* omni prosequuntur honore, testantes se vel nunquam talibus operibus pares fuisse, nisi hos præeuntes habuissent. De *Generibus* itaque *morborum* LINNÆI iudicium laturo, statuere non veremur, illa Compendium, (nam pro tali opus suum semper haberi voluit) nobis sistere, omne ferens punctum, quippe quod *perspicuitate definitionum, verum definitarum iusta divisione et optime divisarum descriptione et brevitate nullo non tempore commendabile.* Huic præterea si addatur oratio inauguralis ab *Ipsa* habita, cui titulus *Hypothesis nova de febribus intermittentibus*, ut et quæ sub *Illius* præsidio postea prodierunt dissertationes plurimæ: *Morbi classici, de variis ex hieme morbis, morsura serpentum, Genesis calculi,*  
B Febris

dum nova attulit genera, quæ veterum auctoritate destituuntur, *Raphani- am* loquor et *Cocynam*; de illa, ut de morbo prorsus singulari, dissertatione egit sub LINNÆI præsidio D:us Asses. ROTHMAN, ubi nihil invenitur barbari, sed quæ dicta fuerint, politissimi certe ingenii scetus sunt. De hac autem D:us VICQ D'AZYR ipse confessus est, quod sit morbus sævissimus, habitantes Sveciæ borealis et palustris partem infestans, unde etiam nomen genericum ipsi tribuens auctor, illud a fluvio infernali *Coccyto* desumere voluit, ut et vermem, hunc morbum causantem, *Furiam infernalem* vocavit. Ad numerum multiplicatum quod attinet, ulterius æmulatorem ejus SAUVAGESIUM consulamus, qui in pathologia sua methodica tradit 10 Classes, 44 ordines et 314 Genera, LINNÆUS autem 11 Classes statuit, 37 Ordines et 325 genera, unde compenlatis compenlandis calculus evidens est. Cui præterea in scripta pathologica D:ni VOGELII inquirere contigit, sciat certe, quod Illi *Hippos, Illofis, Simelesis, Caraclafis, Cilo- fis, Hipophafis* totidem sint genera; ne ipsam Dom. DANIELEM adducam, Pathologiæ scriptorem facile exactissimum, qui, si quis unquam, cum profusione loquitur.

*Febris Upsaliensis, Hæmorrhagia ex Plethora, de Varia Febrivum intermittentium cura, de Scorbuto, Perspiratio insensibilis, ceteræ, constat omnino LINNÆUM illam tradidisse discipulis suis doctrinam, qua tandem sibi ipsis & scientiæ quam maxime utiles forent.*

§. IV.

*Clavis Medicinæ*, libellus, quem merito compendium totius scientiæ medicæ adpellamus, prodiit Holmiæ anno 1766. Quisquis fuerit emunctioris naris Medicus, qui, omni præjudicata opinione abjecta, judicium de hocce libello ferre sustinet, sine dubio lubens concedet, ingenium LINNÆI acutissimum tanto conatui unice par fuisse; illa enim heic acies ingenii elucet, ut fidem omnino superet, Medicinam, quam artem semper conjecturalem futuram statuunt ignorantés ofores, sub ejus manibus speciem Physicæ experimentalis induisse, principiisque et adfertis æque exploratis superstructam. Dif-  
fitendum tamen non est, opus hocce, licet omni et admiratione et adtentione nostra dignissimum, summis quibusdam Medicis aliquo jure videri et difficile omnino comprehensu et praxi forsitan minus adaptatum. Verum in rebus tantæ indaginis raro sibi sufficit ingenium mediocre, nisi filum hoc Ariadnæum per obscuros scientiæ mæandros ab ipso Auctore Illustrissimo sequi disceret; hinc est, quod, qui Censores agere voluerunt, notam ignorantæ suæ prodiderint, cum quæ proposita fuerint, se vix intellexisse fateri coacti sint; quod ipsi contigit Domino VICQ D'AZYR, *Corticale vitale (Clavis medicæ*

*medic.* pag. 5.) per cutem reddenti, Cui quam absfona fit *idea vitalis corticalis*, nullum vel leviter in re medica verfatum fugere potest; unde nec mirum, fi de utilitate hujus operis æque absfona fit conclusio.

§. V.

*Materia medica* et *Dieta* sunt sine dubio potiora Therapiæ censenda subsidia, quorum auxilio destitutus Medicus, inermis prorsus esset, si vel optima gauderet cognitione eorum, quæ *Anatomia* tradit de corporis structura, *Physiologia* de functionibus, et *Patbologia* de vera morborum diagnosi. Ad LINNÆUM usque nullum fere invenimus scriptorem, qui, ea qua decet methodo, hæc necessaria medicinæ fulcra tractaverat, ut potius neglecta, tantis fuerint tenebris obvoluta, ut scientiæ formam vix præ se ferrent. Illustrissimus BOERHAAVE primus quidem fuit, qui, præter alia necessaria in arte emendanda, ad Diætæ neglectam illustrationem animum intendebat. Illum itaque presso pede secuturus LINNÆUS, quod olim adgressus erat opus Præceptor ejus summus, feliciter continuavit et ad fastigium evexit. Etenim quo magis sibi cognitum habuit, *Diætam* rite institutam ad valerudinem tuendam maxime conferre, ita quoque id *Ipsi* curæ fuit, ut, illius principiis rite cognitis, Medici juvenes ad officia sua tute obeunda prodirent. Hinc tertio quovis anno cursum diæticum absolvere consueverat, idque methodo omnino nova egregie adeo fecit, ut de præcipuis Diæterices partibus discipuli ejus, quæ in prælectionibus hauserant dogmata, sub *Illius*

præfidio Speciminum Academicorum loco nobis tradiderint; hæ autem dissertationes non solum doctrinæ et rerum ubertate sese commendarunt, sed et ingenii tale ubique conditæ, semper nostram sibi conciliabunt attentionem. Earum titulos heic adferre liceat, quo ex ipso fonte hauriantur adserta; in his autem primariæ sunt: *Aër habitabilis, Motus polychrestus, Respiratio dietetica, de Varietate ciborum, Culina mutata, Potus theæ, coffeæ, chocolatæ, de Pinguedine animali, Flora, æconomica, Plantæ esculentæ patriæ, Fundamenta valetudinis, de Acetariis, Spiritus frumenti, de Pane dietetico, Diæta acidularis, Macellum olitorium, Fructus esculenti, Inebriantia, Senium salomoneum, de Medico sui ipsius, Diæta per scalam ætatis humanæ observanda, Circa fervidorum & gelidorum usum parænesis &c.* In quibus omnibus reformatorem sæpe egit, scientiæque illam conciliavit evidentiam, quam hætenus desideraverant omnes cordati Medici. Verum antequam hæc omnia missa faciamus, speciatim illam dissertationem nominandam censeo, cui titulus *Nutrix noverca*. Convenierunt dudum inter se Medici de noxiis nutriticis mercenariæ lacte, quorum sententiæ etjam Philosophi accesserunt, inter quos nuperum JEAN JAQUES ROUSSEAU nominasse sufficiat. Anno 1779 Facultas medica Parisiensis hanc materiam ad ulteriorem dilucidationem proposuit præmio, quod reportavit D. US LANDAIS dissertatione *sur les avantages de l'allaitement des enfans par leurs meres*, quam ob elegantissimum scribendi genus omnibus medicis commendatam volumus; sed tantum abest, ut hunc auctorem, laudatissimum quamvis, LINNÆO de eadem materia

teria

teria differenti præferamus, ut potius contendamus, principia, quibus D:us LANDAIS suam stabilire vult sententiam, minus inniti eruditione medica, pompa licet verborum quam maxime superbiat opus.

§. VI.

Quantacunque autem fuerit LINNÆI opera in omnibus iis, quæ sui officii erant et medicinæ inserviebant illustrandæ, in eo tamen quam maxime laudanda est, quod totam funditus emendaverit *Materiam Medicam*, cujus, inde a DIOSCORIDES tempore usque ad Botanices reformationem, defectus neminem, vel paullulum in medicina versatum, fugere potest. Si enim illam agnoscimus veritatem, *Regnum* scilicet *vegetabile* et optima et plurima nobis præbere *medicamenta*, hæc autem fere sola *Therapiam* constituere, pronò simul alveo fluit, *Horum* talem futuram cognitionem, quale fuerit illius scientiæ fundamentum, unde adserta de illis hauriuntur; illo autem vacillante, ut per plurima secula vacillavisse novimus Botanices certitudinem, nec ullam dari *Materiæ Medicæ* certam rationem, hincque nec ullam *Medicinæ* certitudinem. Verum ut nostra adsertio magis indubitata evadat, exemplis ex Historia litteraria medicinæ breviter allatis, illam collustrare lubet. DIOSCORIDES omnesque ejus affectæ sola experientia suffulti, dogmata sua, quo potuerint modo, explicarunt, nullam a priori rationem noscentes, quam pro illis stabiliendis adducere possent; Horumque nomine *Empiricorum*, meminit vetustas. Hos exceptit Gens breviori se credens incessuram tramite, quæque,

in astrorum influxu et plantarum cum certis constellationibus congruentia sese invenisse vires plantarum, haud dubitavit, indeque *Astrologi* fuerunt vocati. Hos secuti sunt *Signatores*, qui ex *habitu* et *colore* floris, facieque externa cujuscumque plantæ, ad vires illarum in corpus humanum vanam omnino deduxerunt conclusionem. Surrexerunt tandem *Chemici*, qui ad artis suæ rigidissimas regulas omnia examinanda voluerunt, putantes se constitutiva plantarum principia resolvere, extrahere et iterum componere posse, unde quoque, quibus adyta naturæ paterent, se solos esse credebant. Illorum autem scientia, medico licet non minus utilis, quam necessaria omnino, Medicinæ tamen in medicamentorum viribus investigandis, nunquam *qua talis* intervivit; heic enim adeo nihil valet, ut bis mille analyses plantarum, Parisiis factæ, sat demonstrarint, *illam plurima elaborare posse, sed nulla detegere medicamenta.* Cadente sic Chemicorum theoria, *Botanici* novissime in scenam prodierunt, qui, quoniam adserta sua systemati naturali superstruere sunt adnisi, propositum etjam finem facilius tandem sunt assecuti. Horum in numero plures habuimus, qui, ex principiis Botanicis, plantarum vires eruere inceperunt. Ast illorum conamina, quo certioribus principiis fuerint innixa, eo certiores etjam fecisse progressus facile constat; unde quoque prona est conclusio, quod, illis insufficienti ratione stabilitis, totum quoque corrueret systema, id quod de pluribus valet, unico excepto LINNÆO, cui soli opus tantæ indaginis condere fuit reservatum. Tenebris enim Historiæ Naturalis ab *Ipso* discussis, prodiit

diit *Botanica* iis suffulta principiis, ut nulli scientiæ nec major certitudo, nec utilitas evidentior sit, si vel nullam aliam allegare possẽmus, quam, quod basin et fundamentum constituat *Materiæ Medicæ*, unde ægrotantibus tota salus.

§. VII.

*Medicamentorum* nomine veniunt illa ipsa instrumenta, quibus medicus in debellandis et curandis morbis utitur, suntque hæc vel *simplicia* vel *composita*. Illa ex tribus Regnis naturæ colliguntur, hæc autem ex collectis conficiuntur et commiscuntur, prout cujusvis fuerit ingenii captus. *Materiæ Medicæ statorem illum* dicimus *consummatissimum*, qui *sedulus colligit simplicia, ea ad certa principia exponit et dignoscere sufficienter docet, dignotorumque usum methodo scientifica nobis communicat, et tandem qui de ignotorum et novorum cognitione adquirenda scite nos instruit*. LINNÆUM primum se talem præbuisse *Materiæ Medicæ* scriptorem, plurimis argumentis demonstratum ibimus, in quem finem *Materiam Medicam*, ab *Ipsò* conscriptam, examini subicere liceat, quæ typis impressa prodiit Upsaliæ 1749. Meum vero qualecumque iudicium antequam adferre ausim, audiamus Illustrissimi HALLERI sententiam, qui illam *commodissimum prælectionibus Compendium* vocat, quodque *inter optima sit Auctoris*, dicit. Plures omnino habuimus *Materiæ Medicæ* scriptores, quorum quædam òpera in majora congesta volumina, alia iterum in formam compendiorum fuerunt digesta; hujus generis est *Materia Medica* Illustrissimi LINNÆI, quam lectionibus suis destinavit. Ast sit licet opus hoc  
com-

compendii nomine insignitum, plura tamen continet, quam quæ antea ullum comprehenderat tale opus; nam omnia, quæ fundamentum cognitionis cujusvis plantæ officinalis constituunt, ab Ipso sunt allata et octo prope modum lineis absoluta, scilicet 1:o *Nomen*, quo quævis planta officinalis Botanicis est nota, adeo ut ad genus et speciem relata optime nobis jam innotescat. 2:o *Synonymon* exposuit, quo veteribus nominabatur. 3:o *Notitiam* dedit *Loci*, utrum ab exteris adferenda, an in nostro climate proveniat, an culta vel sua sponte, annua vel perennis, crescat. 4:o *Nomen* addidit *Pharmaceuticum* et, quæ præsertim partes in usu sint, docuit. 5:o *Qualitatum* cognitionem dedit, si *sapida* fuerit, quo *sapore* suam exserat vim, si *odor gratus, suaveolens* &c. 6:o *Vires* exactissimus descripsit *f*). 7:o Præcipuos adtulit *Morbos*, ubi specifico modo agit, et tandem 8:o *Compositum*, si ejusmodi memoratu dignum fuisset. Tale est opus, quod immortalis HALLER tanta dignum censuit laude, et de quo celeb. VICQ D'AZYR minus favens judicium ferre sustinet. Atqui cujusnam horum testimonium præferatur, judices sint *Materiæ Medicæ* scriptores, quorum nuperimi

---

*f*) Quæ nostris temporibus adeo celebrata fuerunt remedia specifica, in scriptis suis LINNÆUS dudum pro talibus etiam cognita adfert, quorum nominare liceat *Radice[m] Filicis maris*, quæ, ut arcanum remedium in Tania debellanda, magno pretio a Gallorum Rege fuit emta, et *Geum urbanum*, cujus in febribus intermittentibus usum, ut novum detectum, proposuit D:us BUCHAVE DANUS; quarum de hac tamen in *Materia Medica*, de illa in *Flora Svecica* mentio facta est.

rimi et egregii Profess. D:ni BERGIUS et ANDR. MURRAY  
 confitentur, LINNÆUM *præceptorem et statorem* facem Ipsis  
 prætulisse. Ne prætereamus nobil. D:um SCHREBER,  
 qui novam nobis procuravit Materiæ Medicæ LINNÆI  
 editionem, maxime adauctam, adeo ut, non quæ *Ipsè* so-  
 lum observaverat post impressam primam editionem, sed  
 etjam, quæ alii detexerunt *Illo* demortuo, in hac se-  
 cunda SCHREBERI editione fuerint adnotata. Verum qui-  
 dem est, nonnullos LINNÆO imputavisse, Materiam Me-  
 dicam insufficienti ratione fuisse traditam, eo quod illam  
 de *Regno Minerali*, ut et illam de *Animali* collectam omisisset;  
 hos autem delegatos volumus ad Dissertationes sub LIN-  
 NÆI præsidio de his habitas, quarum *bujus* auctor fuit  
 b. def. nobiliss. Reg. Colleg. Med. Assess. LINDHULT et  
*illius* D:us SIDREN Profess. Upsaliensium Celeberrimus. Ce-  
 tera autem, quæ de LINNÆO, ut Materiæ Medicæ stato-  
 re, dici queant, brevibus his complecti liceat Corollariis.

1:0 *Simplicium exactissimam dedit cognitionem, et quoad  
 principia Botanica et vires, quæ hactenus omnino inter desi-  
 derata Materiæ Medicæ erant. Etenim vires a fructifica-  
 tione desumere docuit, habito simul respectu Saporis, Odo-  
 ris, Coloris et Loci g), quo simul novam omnino tradi-  
 dit Theoriam, scilicet: Plantas, quæ genere conveniunt,  
 virtute etjam convenire; quæ ordine naturali continentur  
 etjam virtute propius accedere, quæ classe naturali congru-  
 unt, etjam viribus quodammodo congruere; quibus omnibus*

C

---

g) Vide Philosoph. Botanic.

expositis, Medicis Botanicis illam conciliavit facilitatem, ut, ubicunque terrarum fuerint jam constituti, de simplicium natura et indole certissime judicent; hinc est, quod, si illis offerretur planta hactenus ignota, modo unius alteriusve plantæ ejusdem *Generis, Ordinis* vel *Classis* sibi antea notas habuerint vires, illam in hocce vel illo morbo efficacem futuram affirmare non dubitent. Olim ex ignoratione *Classium Naturalium* varia exstiterunt incommoda, adeo ut *Mercurialis* intrinsecus adhibita fuerit, cujus solummodo usus externus est, *Heracleum* inter emollientia receptum, quamvis inter *Umbellatas* frustra hanc virtutem quæramus. Ad hoc etjam principium plures detectas habemus, quarum numerosam cohortem heic sistere possem, sed exempli solum loco *Cassie* genus adferre liceat, in quo, ob vim purgantem, *Sennæ* adeo inter Medicos invaluit usus, ut omnem fere impleat indicationem; unde etjam pretio emitur sæpe nimis magno, id quod Medicis Botanicis ansam dedit, novas ex eodem genere species experientiæ subjiciendi, quum *species ejusdem generis inprimis virtute conveniant*; sic *Cassia Ligustrina* et *Chamæcris* ut purgantes fuerunt detectæ. Horum autem omnium fundamentorum in eruendis plantarum viribus, si quis optime gnarus esse cupiat, *Dissertationes de viribus Plantarum, Sapore Medicamentorum, Odore Medicamentorum, Medicamentis Graveolentibus &c.* ab Illustr. LINNÆO editas, sibi normam sumat, in quibus sufficienti Theoria omnia hæc tradita sunt subsidia, quæ tanta omnino sunt, ut Auctorem unius ejusmodi operis plus Medicinæ præstitisse constet, quam forsitan præsti-

rerunt olim conjuncti, quotquot fuerint, *Materiae Medicæ* scriptores.

2:0 *Dudum nota et usitata propius determinare et ad species referre docuit*; ut enim *Species morborum* exacte esse determinandas quam maxime inculcavit, ita quoque *Speciem cujuscunque plantæ officinalis* distinctissime esse describendam voluit, quo, cognito morbo, medicamenti simul haberetur cognitio solidissima, quod fundamentum constituit omnis sanioris *Medicinæ*. Huc usque tantam, non inter *Materiae Medicæ* scriptores solum, dissentionem, sed et *Pharmacopolarum* ignorantiam animadverterat tantam, ut opus hoc, si quid unquam, utilissimum judicaverit, & species rite describendas et determinandas in se susceperit, ne ulterius incerti essent Medici, de indole et natura simplicium, utque rite noscerent distinguere plantas. Quod ajunt, *quid pro quo* substituere, de *Pharmacopolis* nostris diu multumque valuit, quod eos *Botanices* ignaros prorsus fuisse demonstrat; at ex hac ipsa ignorantia quanta fuerint omni tempore mala, nullus ignorat. Sic Ipse LINNÆUS observavit, *Hypochæridem maculatam* pro *Arnica* fuisse substitutam, *Centauream scabiosam* pro vera *Scabiosa* et radicem *Hermodyli* cum *Colchici* vel *Iridis* cujusdam radice fuisse commutatam. Unde facilis est conclusio, optima remedia in desuetudinem abire, eo ipso, quod substitutis aliis minus efficacibus, promisso effectu frustratus Medicus, culpam in medicamentum referat, quam in *Pharmacopolam* referre debuerat. Sic etjam de *Ipecacuanba* diu multumque fuit disceptatum;

nunc enim ad *Loniceras*, nunc ad *Violas* fuit revocata, donec tandem nuperrime constiterit, illam *Psychotrie* esse speciem, id quod in reliquis species hujus generis inquirendi magnum erit incitamentum. Præterea, quum unius hominis non fuerit opus, omnia ea rite determinare, quæ ignota erant, dum primus tenebras discutere inciperet LINNÆUS, *Catalogum ignotorum* nobis reliquit, ut, quibus in posterum contingeret Materiam Medicam tradere, hunc ante oculos haberent; cui vero placuerit melius ad hanc plantarum, quo ad species ignotarum, enumerationem adtendere, constabit maximam partem ante LINNÆI obitum dudum fuisse detectam, tanta enim fuit et LINNÆORUM et *Illorum Discipulorum* b) opera sedula. In his vero merito numerandus est Cel. Noster BERGIUS Hist. Nat. et Pharmac. Prof. longe dignissimus; nam Hic ille est, qui exactissime tales adhibuit, in opere suo egregio, specierum determinationes, id quod præter alia multa Materiam *Ejus Medicam* nobilitat.

3:0 *Nova Indigena introduxit i) vel frequentius usurpare docuit, quo simul Medicinam Domesticam per Sueciæ regiones usitatam breviter exposuit, et loca natalia Plantarum apud nos indicavit.* De indigenarum plantarum usu ante

LIN-

---

b) Celeberrimus Prof. TRUNBERG Rei Medicæ in hoc genere utilissimum sese præstitit & laudatissimum.

i) Ad hanc methodum alii quoque operam suam conferre voluerunt, inter quos Cel. KÖNIG, Danus, dissertationem de *Remediorum indigenorum ad morbos cuiusvis regioni endemicos expugnandos efficacia*, edidit Hafniæ 1773.

LINNÆUM nullus fere recentiorum cogitaverat, vel si cogitatum fuisset, ob defectus in plantarum descriptionibus et virium genuina determinatione, omnem harum cognitionem et usum in desuetudinem tandem abiturum constat. Hinc opus illud aureum, *Floram Svecicam* loquor, conscripsit, cujus novam editionem dolemus omnes LINNÆUM *Filium*, ad unguem licet a se rite perductam, locupletissimam et ut typis mandaretur paratam, nobis qui communicaret, non supervixisse. Heic enim Gazam invenimus ditissimam rerum indigenarum non minus usus *æconomici*, quam *medici*; talem enim se heic præbuit Auctor, ut coronam civicam apud Romanos merito reportasset, nunc autem memoriam perennem et nostram admirationem, Ipsi post fata superstitem. Nam præterquam quod medicamenta indigena non possint non pretio constare multo minori exoticis, eo ipso etjam a nobis præferri merentur, quod sibi semper possint haberi similia, id est, bene dignota et optime collecta; quid? quod indigenorum habeamus plura *k)*, quæ virtute exoticorum plantas longe antecellunt: qualem non dubitamus adferre *Dulcamaram*, cujus jam per spatium XL annorum in patria nostra multum invaluit usus, idque in summum ægrotantium emolumentum. Specifica enim virtute omnino commendabilis in *Rheumatismo*, *Artbritide*, *Scorbuto*,

C 3

---

*k)* Hinc quam iniqua sunt verba D:ni VICQ D'AZYR constat, ubi dicit; "Quoique il a fait des louables efforts pour substituer des plantes indigenes aux etrangeres, nous ne pouvons dissimuler que cette production est peu digne de son auteur.

*buto*, *Ulceribus malignis*. Pari modo nos etiam plura docuit medicamenta indigena, e. gr. *Ledum palustre* l) quod nullam fere patitur comparisonem; ut prætereamus plurima alia, quorum tamen exactissimam nobis dedit cognitionem in Dissertationibus, quarum tituli: *Arboretum svecicum*, *Frutetum svecicum*, *Flora alpina*, *Fraga vesca*, *Menthae usus*, *Euphorbia*, *Hypericum*, *Dulcamara*, *de Ledo palustri*, *Purgantia indigena*, &c. nec non in *Itineribus* suis per *Scaniam*, *Vestrogotbiam*, *Oelandiam* et *Gotblandiam*.

4:o *Exotica*, quæ usus medici sunt, vel detexit vel determinavit, ut nobis jam constet, vel quibus in casibus omnem impleant indicationem, vel quibus etiam excipiantur aptis succedaneis, in quorum investigationem quam maxime erat intentus. Dissertationes *Ejus* adferre liceat, optime hocce comprobantes corollarium, scilicet illas, quæ inscribuntur: *Ficus*, *de Cortice peruviano*, *Radix senega*, *Specifica Canadensium*, *Spigelia anthelmia*, *de Maro*, *Rhabarbarum*, *Lignum quassia*, *Medicamenta purgantia*, *Plantæ officinales*, *Opium*, *Opobalsamum declaratum*, *Lignum colubrinum*, *Fungus melitensis*, *Viola ipecacuanha*, *Plantæ rariores Camschatcenses* &c. ubi summa ope in id nisus est, ut lux late et diffusè spargeretur.

5:o *Simplicium*, quoad multitudinem nimiam et usum rariorem, rigidissimam instituit censuram, id quod præcipue *Dissertatione*, sub hoc titulo edita, ad unguem exegit, addita  
ad-

---

l) *Celeb. Assess. ODHELIUS* & *Med. Prov. Doct. BJÖRNLUND* egregia hujus plantæ ceperunt experimenta. *Vid. Kgl. Vetensk. Acad. Handl.*

adhuc alia, *Observationes in Materiam Medicam* sistente; tantam enim in Pharmaceuticorum officinis inutilem videbat farraginem, confusio*n*i magis quam utilitati infervientem, ut sua mole ruerent omnino hæc ignorantia*e* et vetustatis documenta. Hac admonitione factum quoque est, ut in tertia illa editione Pharmacopœe Svecicæ, quam adornandam jam curat Reg. Collegium Medicum, omnia adeo funditus sint deleta, quæ LINNÆUS olim exulare jusserat, ut soli flores *Verbasci* et *Primulae veris* restent; ex iis autem, quæ introducenda proposuerat, omnia fere civitate donata sint.

6:o In *Venenatorum m)* inquisivit usum, et dosim sensim determinare docuit. Veneni nomine communi definitione illud venit, quod, exigua licet copia, vel in corpus receptum vel corpori applicatum, ad vitæ actiones aut omnino impediendas, aut funditus delendas sufficit. Nullum autem dari tale venenum, nisi a dosi, eo certius inculcavit, quo verius sibi perspectum habuit, ullum neque dari remedium Heroicum, nisi a venenatorum classe; unde etjam intensius studuit, ut metum demeret Medicis injustum, ab antiquitate relictum, illisque animum adderet ad cautum omnino, sed frequentiore*m* horum usum. Ejusmodi autem remedia, ubi fuerint adhibita, cum grano salis porrigere docuit; nam ut vim suam plerumque exserunt in Systema nervosum, ita quoque, a minima incipi-

---

*m)* De venenis e regno vegetabili collectis heic imprimis sermo est; venena enim e Regno lapideo corrigi vix posse contende*bat*.

cipiendo, sensim dosis est augenda, prout tulerint res circumstantes. Horum exempli loco Dissertationem de *Planta Cimicifuga* allegare sufficiat.

7:0 *Culturam plantarum medicinalium ad unguem perduxit*, quæ adeo ad statum rei medicæ perfectiorem reddendum pertinet, ut in ea fere versetur cardo totius scientiæ Oeconomiae medicæ. Qui autem hæc omnia rite noscere desiderat, perlegat Dissertationes *Illius*, quæ inscribuntur *Hortus Upsaliensis* et *Horticultura Academica*. Ex his subsidiis *Reg. Collegium Medicum*, cujus officii est sic agere, ut status rei medicæ per Patriam nostram, quam maxime fieri possit, emendetur et floreat, optima quæque in usum Patriæ vertere voluit. Qui enim veterum jam videret hortos Pharmacopolarum per omnes Sveciæ provincias, Boreales etiam, instructos, unde maxima fere pars simplicium ipsis provenit, Patriæ nostræ clima mutatum fuisse, facile sibi persuaderet. Celeb. Prof. BERGIUS, qui multiplici adeo nomine sese Medicinæ utilissimum præbuit, LINNÆUM presso pede secutus, culturam *Rhei Palmati* in horto suo feliciter instituit, de cujus proventu illa nobis est *Rhei* collectio, ut Medici nostrates rarissime aliud præscribant ægrotis, quam quod e solo Svecico provenerit *n*).

8:0 *Modum colligendi et methodum exhibendi medicamenta proposuit*. Etenim ut quam maxime differunt plantæ dum primo vere vel sero proveniunt autumno, ita quoque

---

*n*) Vid. Decretum R. Collegii Medici 1783.

que earum collectio scite est instituenda; nam si *Radix Cariophyllatæ* foliis jam detrufis sumitur, tota vi aromatica destituitur, qua sola effectum prodit. *Radix Rhei* decennis esse debet, antequam in officinas Pharmaceuticas introducatur. *Hyperici flores* legendi priusquam sese omnino explicuerint, ut et *folia Ribis nigrae* dum prima explicationis signa produnt. Eadem etiam requiritur exacta cognitio circa methodum exhibendi, ne planta sicca pro viridi substituitur; sic enim *Gratiola* recens, purgans est efficacissimum, quæ antiqua iners omnino est; hinc quoque omnes plantæ *Tetradynamia*, quarum usus specificus in scorbuticis morbis, recentes haberi debent; ne de *Papavere* dicam, cujus lacryma lethæum perfundit somnum, dum semina vesca sunt.


g:o *Medicamentorum compositorum usum restrinxit.* Nescio equidem, utrum Medicinæ plus nocuerint medicamenta composita, an simplicium notitia confusa. Verum tamen est, compositorum usum, si de indagandis viribus medicamentorum agitur, semper et ubique fallere magistrum; nam *qui potest mederi simplicibus, frustra et dolose querit composita*, dixit VILLANOVANUS. In compositis de cetero medicamentis non potest Medicus, quin, dum plurima adhibet, contraria contrariis commisceat, id quod ignorantiam prodit. Qui enim ad hanc regulam hujus etiam seculi celeberrimorum Medicorum opera examini subjicit, inveniet ipsum DE GORTHER et plures, qui medicamentis compositis valde addicti fuerunt, peccasse, id quod nostro, quo jam vivitur, tempore sedulo


observant, et simplicissima quæque adhibent medicamina, qui Medici fuerint nostratium et in schola LINNÆI edocti; Hic enim Præceptor summus, supervacanea raro dicens, multus tamen in hac re fuit, et non satis se dicere posse existimavit.

Sed sufficient hæc, quæ de LINNÆO sunt allata; nam dies mihi citius deficeret, quam de *Eo* dicendi materies. Ad plures abiit, et *Filius* in scientia a *Patre* secundus; Flebile Eheu! *Et quando vel*  
*pares invenient secula ullos?*

*Tantum.*

---





[www.books2ebooks.eu](http://www.books2ebooks.eu)